

**De tunicae dartos textu cum aliis comparato : dissertatio inauguralis ... /  
Hermannus Jordan.**

**Contributors**

Jordan, Hermann.  
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.  
Royal College of Surgeons of England

**Publication/Creation**

Berolini : Typ. Nietackianis, 1834.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/w79e79q2>

**Provider**

Royal College of Surgeons

**License and attribution**

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

D E  
**TUNICAE DARTOS TEXTU  
CUM ALIIS COMPARATO.**

---

**DISSERTATIO  
INAUGURALIS**  
QUAM  
CONSENSU ET AUCTORITATE  
**GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS**  
IN  
UNIVERSITATE LITERARIA  
**F R I D E R I C A G U I L E L M A**  
PRO SUMMIS  
**IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS**  
RITE SIBI CONCILIANDIS  
**DIE X. M. JULII A. MDCCCXXXIV.**  
H. L. Q. S.  
PUBLICE DEFENDET  
AUCTOR  
**HERMANNUS JORDAN**  
WEZLARIENSIS.

---

**OPPONENTIBUS:**  
**A. BECKHAUS, MED. ET CHIR. DR.**  
**O. FISCHER, MED. ET CHIR. DR.**  
**E. HANSEN, MED. ET CHIR. DR.**

ACCREDIT TABULA AERI INCISA.

---

BEROLINI, TYPIS NIETACKIANIS.

# УЖЕ СОТНАДЦАТЬ СТАРИЧКОВ

Digitized by the Internet Archive  
in 2016

<https://archive.org/details/b22483159>

**VIRO ILLUSTRISSIMO  
JOANNI MUELLER,**

ANATOMIAE ET PHYSIOLOGIAE PROFESSORI P. O. IN  
UNIVERSITATE LITERARUM BEROLINENSI ET IN ACA-  
DEMIA REGIA MEDICO - CHIRURGICA MILITARI, MUSEI  
THEATRIQUE ANATOMICI DIRECTORI, COMPLURUM  
ACADEMIARUM ET SOCIETATUM LITERARIARUM  
SODALI ETC.

**PRAECEPTORI OPTIMO DILECTISSIMO**

**D. D. D.**

**AUCTOR.**



---

## PRAEMONENDA.

---

Quae hoc libello disquisitiones continentur, primitus dartos tantum tunicam spectaverunt, quippe quum, ad quemnam textuum ordinem tunica illa pertineat et quaenam similitudo scroti plicatura cum aliis corporis humani intercedat, in animo esset eruere. Statim vero, quum ad solvendam hancce quaestionem propius accederem, quantum auxilii microscopica textuum disquisitio afferret, cognovi et in hac potissimum instituenda studium et operam collocare coepi. Microscopium, sicut illi, qui cauto animo diffidentiaeque pleno res perserutatur, occultissimas subtilissimasque revelat et pro certis demonstrat, ita temerarios subitariosque observatores spectris praestigiis-

que lactavit, quae et scriptis et iconibus anatomicis physiologicisque literarum detimento divulgata invenimus. Hoc mecum reputans, quomodo scopulos et ab instrumento ipso et a juventute observantis minitantes evitaverim, ex iis, quae sequuntur, lector benevolus judicet. Microscopiis praestantissimis a magistra manu artificum Berolinensium **Pistor** et **Schiek** fabricatis per bonam Cel. Dr. **Henle** et viri nobilissimi **C. a Liphart** gratiam uti mihi licuit. In observando autem primum res parum amplificatas perspiciebam, deinde sensim sensimque auctas diligenter observabam, iisque contemplandis, ubi inde a maxima perspicuitate in incertas abirent, extremum posui finem. Tum vero, ne luce, qua res explorandas indagaveram, fallerer, et luce et loco mutatis observationes semper sibi constare haud sine magna voluptate reperiebam. In investiganda tela cellulosa non aquam solummodo, quam partium clementiarum nonnullarum formam mutare jam inter omnes constat, verum etiam humorem albuminosum in substantia cellulosa ipsa contentum adhibebam. Denique omnia, quae inveneram et observaveram, cum Ill.

**Prof. Jo. Müller et Cel. Dr. Henle,** quorum  
virorum humanissimorum et consilio et ope,  
ut in tot aliis rebus, et in hocce opusculo  
conscribendo gavisus sum, communicabam,  
ut nil in eodem descriptum invenias, nisi ab  
illis quoque circumspectum et probatum.

Tunicam dartos quum nostris adhuc tem-  
poribus alii inter cellulosam, alii inter muscu-  
larem telam referant, utri telarum ordini illa  
revera adnumeranda sit, ita eruere studui, ut  
nulla abhinc de hac re dubitatio existere possit.  
**Hac lege** cellulosae et muscularis telae, in  
quibus exponendis dissertatio nostra majore  
ex parte versatur, indagationem judices quaeso.  
**Tantum enim** abest, ut confectam telae cel-  
lulosae et muscularis anatomiam, physiolo-  
giam et pathologiam me conscripsisse putem,  
ut telas hasce, quatenus ad dartos tunicae  
penitiorem naturam illustrandam opus fuerit,  
me perscrutatum esse profitear. Perscrutando  
autem incidi in multa, quae a singulis aucto-  
ribus longe aliter descripta inveni, neque me  
nullius facturum operis pretium putavi, si bre-  
vibus commemorarem, quibusnam in rebus a  
ceteris meae digrederentur disquisitiones.

Quae de cellulo et musculari textu admonita sunt, eadem de tendineo valent, quem, quum inter alios textus indagasse, in singulo capite descriptum libello adjeci. Etiamsi novi quidpiam afferre minus mihi contigerit, tamen nonnulla, quae adhuc in incerto et obscuro latuerunt, stabilita et illustrata eruditorum examini a me subjici posse laetor atque gaudeo.

---

---

## DE TEXTU TUNICAE DARTOS.

### CAPUT I.

#### DE SCROTO ET SPECIATIM DE TUNICA DARTOS.

##### §. 1.

**S**croti humani tunica externa tenuis est, crinibus longis rarisque obsessa, colore magis fusco quam reliqua cutis, cuius est processus testes e cavo abdominalis descendentes suscipiens. Dimidiatur linea, raphe appellata, a praeputii penis frenulo oriunda et ad anum producta. In multas parallelas, ad rectum angulum raphen versus tendentes et in hanc insertas plicas composita est, quae, infra montem Veneris inchoantes, in firmis corporibus in dimidio inferiori superficie anterioris scroti distinctissime conformatae sunt, in superficie posteriori minus expressae et rariores videntur, et in parte superiori sensim evanescunt.

Imbecilliorum virorum scrotum saccus est laxus, suo et testium ponderi obediens, cuius resolutionis

raphe particeps est. Hanc quoque speciem calore externo aucto induit; frigore vero in descriptas plicas praeformatas contractum testes arcte circumcingit. Scrotum bene rugatum, testibus arcte adhaerens potentiae virilis esse habetur.

Plicae illae jam in parvulis et in ipsis recens natis infantibus observantur.

Similes, teneriores modo et circulares plicae iisdem conditionibus in penis lamina externa videntur.

### §. 2.

Quo loco superficie externae scroti plicae incipiunt, tela quoque cellulosa subcutanea, quae vulgo fascia superficialis nominatur, speciem mutat et structuram: cellulae adipem continent, quae ad montem Veneris plurimae sunt, subito desinunt, eorumque loco apud firmos viros, quorum scrotum expresse rugatum est, tela apparet rubicunda, fibrosa. Fibrae ductiles et elasticae conjunctae sunt ad fasciculos tenuiores crassioresve, qui omnes a superiori parte deorsum spectantes, ad perpendiculum versus plicas laminae externae ordinati sunt. Tam arcte fasciculi plicis inhaerent, ut non nisi magno opere et cautissima manu ab iis separari possint. Fasciculi illi non plane paralleli sunt, sed multas inter se anastomoses ineunt, quo fit, ut tela formetur reticularis, densa et solida, cuius tamen

omnes maculae longitudine latitudinem multo superant.

Uti plicae laminae externae, ita haec quoque tela in scroti parte posteriori plerumque vix observatur, in parte anteriori maxime expressa est; nec non apud parvulos infantes et neonatos reperitur. Similes fibrae rubicundae sub corio penis decurrent, telam vero hic irregularem et multo tenuiorem constituentes.

Tunicae illi scroti internae ob similitudinem cum carne verberata nomen tunicae dartos sive carneae tributum est. *Rufus Ephesius*: „Περὶ δὲ τοὺς διδύμους εἰσὶ χιτῶνες ἐρυθροειδεῖς, καὶ δαρτοί“ (1) ait.

Praeter descriptas fibras multi adhuc in hacce tela cylindri longi, tenues, subflavi, elastici, ramos modo paucos emittentes decurrent, qui, ut injectionibus certior factus sum, arteriolae sunt, in scroti quidem anteriori parte rami arteriae pudendae externae; in posteriori parte scroti arteriae e scrotalibus posterioribus oriuntur.

Tunica dartos in utroque latere saccum format, qui, ubi in superficie externa raphe conspicitur, alteri se conjungit et septum scroti constituit, quod structura fibrosa reticulari non amplius praeditum est, sed vulgari, at solidissima tela cellulosa constat.

Tunica externa et dartos non textu celluloso

(1) De partibus corporis humani. ed. Gul. Clinch. Lond. 1726. p. 41.

junguntur, fasciculis hujus immediate et tam arcte cum illa cohaerentibus, ut motum tunicae internae cutis sequi semper coacta sit. Contra inter superficiem tunicae dertos internam et partes subjacentes, musculum cremasterem scil. et tunicam vaginalem communem, tela cellulosa ita est laxa, ut, quod experimentis et e cadaveribus et ex animalibus vivis captis postea uberius exponendis mihi persuasi, testes cum tunicis suis vaginalibus, remanente scroto, versus annulum abdominalem auferri possint.

### §. 3.

Cuinam telarum generi tunica dertos sit adnumeranda, ad hunc usque diem nondum dijudicata lis erat, cuius litis causae tam e natura scroti, quam e tunicae dertos apud firmos et laxos viros diversa specie petendae sunt.

Plures anatomi veteres musculis cutis tunicam dertos adnumeravere.

Inter recentiores *Velpeau* (2) tunicam dertos interdum fibras musculares continere et telam cellulosam ipsam in muscularem transformari posse opinatur; de saccis tunicae dertos dicit: »ses fibres sont souples, cotonneuses et rouges chez quelques sujets. Les anciens anatomistes, qui expliquaient par ses contractions

(2) *Traité complet d'anatomie chirurgicale du corps humain.* T. II, Paris, 1833. p. 217.

»le plissement du scrotum et la rétraction des testicules, se fondaient sur cet aspect, pour lui accorder la texture musculaire. Le muscle crémaster rendant assez bien compte du fait, les modernes ont entièrement rejeté cette opinion. J'ai cependant vu beaucoup de cadavres susceptibles d'être invoqués en sa faveur. Fibres parallèles, ondulées, villeuses, molles, très-souples, tissu rougeâtre, tout, en un mot, eût permis de comparer le dartos à la membrane musculaire de l'estomac. Mon opinion, à cet égard, est que l'élément cellulaire peut se transformer en tissu charnu« etc.

*J. F. Meckel* (3) tunicam dartos tela quidem cellulosa constare profitetur, quam vero ad telam musculararem transitum facere credit; dicit de ea: »Am wahrscheinlichsten ist es indessen, dass sie den Uebergang vom Schleimgewebe zur Muskelbildung macht, und sich zu den übrigen Muskeln ungefähr wie die Muskeln der niedern Thiere zu denen der höhern verhält, wo auch die faserige Structur undeutlicher und gewissermassen durch die Gallert, das Element des Schleimgewebes, verdeckt ist, welche den bei den höhern Thieren freier hervortretenden Faserstoff verhüllt, oder noch nicht in ihn umgewandelt ist.«

*Hallerum* tunicam dartos cellulosam habuisse

---

(3) Handb. der menschl. Anat. Bd. IV. Halle u. Berl. 1820. p. 543.

verbis ipsissimis (4) perspicuum est: »Veteres  
 »ejus,« telae cellulosa scil., »aliquas regiones aliis  
 »cum nominibus cognitas habuerunt, et tunicam  
 »musculorum communem dixerunt, membranam adi-  
 »posam, vaginalem, darton.«

*E. H. Weber* (5) de tunica dartos: »Diese  
 »Lage Zellgewebe überzieht nicht nur den ganzen  
 »Hodensack, sondern theilt auch seine Höhle in 2  
 »durch eine Scheidewand, septum scroti, geschie-  
 »dene Höhlen«, et postea: »Von Fleischfasern ist  
 »in der Dartos keine Spur vorhanden.« Alio vero  
 loco (6) de tunica dartos et de tunica vasorum ex-  
 terna dicit: »Allein von diesen Häuten ist doch  
 »noch nicht bewiesen, dass sie nur aus Zellgewe-  
 »ben bestehen.«

#### §. 4.

**Microscopica tunicae dartos disquisitio.** Fasci-  
 culi, quibus haec tunica constat, in tenerrima fila  
 elastica distrahi possunt. Haec fila primitiva (Fig.  
 I.) microscopio composito visa, in tota longitudine  
 aequae crassorum, tortuosorum pellucidorumque cy-  
 lindrorum formam referunt, qui secundum disqui-  
 sitiones ope micrometri a me institutas partes lineae

(4) Elem. physiol. c. h. T. I. Lausanne, 1757. p. 9.

(5) Hildebrandt's Handb. d. Anat. d. M. 4te Ausg.  
 Bd. IV. Braunschweig, 1832. p. 380.

(6) Ej. lib. Bd. I. 1830. p. 239.

Anglicanae 0,0005 ad 0,0009, plurimi 0,0007 iati sunt. Fila primitiva, quo melius conspiciantur distracta, e tortuosis in recta mutantur.

### 5. 5.

**Tunicae dartos disquisitio chemica.** In parte hujus telae bene concissa et per plures horas acido acetico tractata Kali ferruginoso-hydrocyanico liquori affuso neque praecipitatio neque turbatio effecta est.

Alia tunicae dartos pars per tres horas cocta pro magna parte in gelatinam transmutata est.

### §. 6.

**Tunica dartos** valde contractilis est. Inter omnes notum, quo contrahitur irritamentum est frigus; calore relaxatur; galvanismo non afficitur. **Dum** sese contrahit, intime conjunctam membranam scroti externam in plicas praeformatas componit: quo fit, ut utraque tunica testes arcte circumcingat eosque, quo minus laxe et noxie dependeant, impedit. **E. H. Weber** (7) hoc velamentum numerosis vasis ad testes a frigore muniendos et ad semen bene secernendum multum valere putat.

Attrahendis versus annulum abdominalem testibus, in spasmis, tussi convulsiva aliisque motibus,

---

(7) I. I. Bd. IV. p. 379.

quibus musculi abdominis et nominatim musc. obliquus internus contrahuntur, tunica dartos non interest; tolluntur illi ea musc. obliqui interni parte, quae cremaster vocatur.

**Quae dixi, hisce argumentis probantur.**

Tunicam scroti externam non vi quadam innata, sed tunica subjacente contracta complicari, perspicuum est. Semper enim in plicis formandis pars complicanda, aliam vim externam moventem subsequens, ipsa quiescit; neque negari potest tunicam istam externam, si per se contraheretur, congruenter densari et firmari, minime vero in rugas, quantumvis praeformatas, tam regulares componi. Tantum vero abest, ut frigore membranam externam non contrahi contendamus, ut, quoniam scrotum rugatum tactui ipsi majorem ostendat densitatem, contrarium probatum habeamus. Quae ita esse, non minus eo patet, quod inter externam et dartos tunicam ea semper interest ratio, qua jam in scroto valente validam contineri carneam præsagire possis. Verum enimvero in iis animalibus, quorum scrotum non plicatum est, ut in cuniculo et in cane, non carnem sic dictam telam, sed vulgarem tantum cellulosam, in arietibus autem, qui validiore scroto gaudent, et externam valde, quamvis irregulariter rugatam et carnem maxime exultam inveni.

**Quod ad irritamenta attinet, quae in scrotum**

plicandum vim habent, omissis iis observationibus, quas frigore et praesertim aqua frigida in se ipso quisque facere potest, nonnulla modo experimenta praesentibus viris praestantissimis, professoribus *Mueller* et *d'Alton* et doctore *Henle*, instituta tradam.

Scrotum arietis, aqua frigida perfusum, valde rugatum est, quod vero a contractionibus, uti muscularum sunt, in quos irritamenta subito agunt, multum distulit. Eodem simul stimulo subito testis in scroto (ope cremasteris) sursum ablatus est, dum inferior scroti tardius sese contrahentis pars relictâ remansit. Omissa aqua frigida scrotum calore sensim explicatum est; testis autem multo prius et subito, uti surrexerat, descendit. Galvanismus in scrotum rugandum non efficax fuit; pila Voltaica sexaginta quinque parium laminarum nullam quoque in internam ejus superficiem, incisione longa apertam, vim habuit. Galvanismo autem in musc. cremasterem adhibito testes statim e scroto sursum ablati sunt.

His experimentis scrotum frigore moveri, galvanismo non incitari, testes denique non scroto, sed cremastere versus annulum abdominalem auferri patet, quod jam antea (§. 2.), quantum legibus anatomicis fieri potuit, demonstravimus; restat, ut cremasteris decursum brevibus explicem, quo res accuratius illustretur.

Musculi obliqui interni pars cremaster appellata, postquam annulum abdominale transgressa est, in plures fasciculos distracta apparet, qui tunicae vaginali communi adhaerentes in ejusdem superficie externa et antica descendunt, revertuntur, in latere interno adscendunt et spinae pubis inseruntur vel, ut nonnunquam observavimus, ad vaginam musc. recti transeunt, ita ut testes cum vaginis in laqueis quasi musculosis pendeant, quorum contractione annulum abdominale versus adtrahantur. Cremasterem ita dispositum *J. Cloquet* (8) primus stricte descriptis ejusque imaginem communicavit.

Veteres artifices, naturam summa diligentia observantes, haec inter scrotum et testes ratio non in occulto latuit: in excellentissimis artis antiquae operibus, in gladiatore villae Borghesiae et in Lao-coonte, quorum musculi abdominis in totius corporis laboribus maximam habent partem, testes versus annulos abdominales attractos scrotique inferiorem partem vacue dependentem videmus. Sculptatores minus egregii minus accurate observarunt.

Quod summi illi artifices repraesentaverunt, saepissime in infantulis lacrymantibus observavi, et in se ipsis plurimi nostrum animadvertere possunt; tamen non omnibus contingit.

---

(8) Recherches anatomiques sur les hernies de l'abdomen. Paris, 1817. p. 13 sq. et Pl. II.

## §. 7.

E morbis, quibus tunica dartos affici videtur, hoc loco nobis commemorandae sunt instillationes, liquoris albuminosi in oedemate seroti, puris, urinae, in quibus omnibus peculiaris fibrarum constitutionis ne vestigium quidem ullum remanet, et tunica dartos tela<sup>e</sup> cellulosae subcutaneae, iisdem morbis laboranti, prorsus similis est (9). Exinde nominandus est adeps in hac tunica, quae statu normali adipe caret, depositus (10); resolutio denique tunicae dartos et tabes apud infirmos et senes.

(9) Velpeau l. l. p. 218.

(10) J. F. Meckel l. l. §. 2441.

Ej. Handb. d. path. Anat. Bd. II. Abtheil. II.  
Lpz. 1818. p. 126.

---

## CAPUT II.

### DE TELA CELLULOSA.

#### §. 1.

Tela cellulosa substantia est albida, mollis, dingo tangenti adhaerescens, elastica, quae et spatia inter singula organa interjecta implet, et partes ea constituentes connectit, et retia vasorum capillarium continet.

#### §. 2.

Quae sit telae cellulosae structura, quaenam ejus elementa sint, adhuc sub judice est, partim quia theoretice disputare facilius erat, quam asperam disquisitionum microscopicarum viam ingredi, partim quia microscopia ipsa hodierno demum tempore ita perpolita sunt, ut eorum ope subtilissimas corporis humani partes non frustra intueri possimus.

Elementa telae cellulosae, quae diligentissime microscopio examinabam, mihi visa sunt fila pellucida, leniter tortuosa, distrahendo autem recta reddit, subtilissima, in tota longitudine aequa crassa, (minime

globulis constituta) (Fig. 2 et 3.), quae micrometro investigata, partes lineae Anglicanae 0,0005 ad 0,0009, plurima 0,0007 permetiuntur. Utrum singulorum filorum crassitudo re vera differat, an forsan pressorio ad investiganda ea necessario mutetur, quae-nam denique errori, a re subtili spino-saque min-tanti adscribenda sint, discernere non possumus. — Nativas filorum terminationes, quas *G. R. Trevira-nus* (11) delineavit, non invenimus. Telae cellulo-sae fila, qualia descriptsimus, talia in hac substantia e variis corporis humani regionibus excisa obser-vavimus, nominatim e vasorum colli majorum va-gina cellulosa, ex arteriae carotidis tunica externa, e tela cellulosa, quae inter fasciculos muscularum sternocleidomastoidei, sartorii, glutaei maximi, quae inter fibras tendinis Achillis interest, e cellulis adipem continentibus inter cutem et musculos abdo-minis, inter cutem et glutaceos. At non in cadave-ribus solum haec observavimus, sed etiam iisdem filis primitivis constitutam vidimus telam cellulosam, quam e recenti vivi cuniculi vulnere de vagina ar-teriae carotidis et de musculis colli demtam explo-ravimus.

Praeter descripta nulla invenimus alia telae cel-lulosae elementa, neque globulos, neque laminas, nisi quae in fila poterant dissolvi.

## §. 3.

Fila telae cellulosae primitiva dupli modo junguntur, multa enim aut parallela fibras componunt varie decussatas itaque tum magis solutum, tum magis confertum textum irregulariter reticularem formantes (Fig. 4.), aut singula omnia decussata laminas solidissimas subtilissimasque constituunt. (Hae sunt fibrae, hae laminae ab *Haller* et *Bichat* descriptae). Ad illud genus pertinent exempli gratia vaginae vasorum, membranae cellulosae, tela majores et minores muscularum, tendinum, nervorum fibras connectens etc. Laminis contra cellae constant adipem continentes, clausae, quae textu multo minus solido in plures cellulas minores disjunguntur, e quibus denique fibrae tenerimae particulas adiposas transeunt. Utrumque genus, et fibrarum et laminarum, iisdem elementis non nisi varie dispositis constitui, ex eo quoque sequitur, quod in maceris corporibus inter cutem et musculos abdominis cellularum loco textum fibrosum, fasciam superficialem dictam, videmus.

Fibrarum et laminarum structuram microscopiis simplicibus valde convexis investigare possumus; ipse lente diametrum undevicies circiter multiplicante usus sum.

## §. 4.

**D**e subtilissimis telae cellulosae partibus scriptores vario modo inter se dissentunt: alii enim filis, alii globulis, alii muco eam constare scriptum reliquerunt; recentiorum autem singuli totam telam cellulosam vasorum lymphaticorum retia esse judicaverunt.

**F**ontana (12) primus fila telae cellulosae primitiva reperit: »Die geschlängelten ursprünglichen »Cylinder« inquit, »welche ich in dem Zellenge- »webe der Nerven, der Sehnen und der Muskeln »gefunden habe, sind unter allen Theilen oder Or- »ganen, welche ich in dem thierischen Körper kenne, »die kleinsten« etc. — **F**ontanam autem, in erro- res incidisse plerique, quippe qui microscopio ni- mis diffiderent, statuerunt. Sin vero nuperrime ad- huc **J. Kokerum** (13) his verbis: »Hos vero cylin- »dros tortuosos nihil aliud esse, nisi lusum opticum, »facile patet, si modo conferamus tab. 9 et 10, in »quibus eosdem cylindros tortuosos delineavit in »magnesia alba, argento, cupro, plumbo, aliisque »metallis«, disserentem audimus, equidem, ne a

(12) Abhandl. üb. d. Viperngift etc. a. d. Franz. Berl. 1787. p. 389. Tab. V. Fig. 4 et 5.

(13) Spec. anatomico - physiol. inaug. de subtiliori membranarum serosarum fabrica. Trajecti ad Rh. 1828. p. 37.

tali concludendi modo discedam, eodem jure contendere possem, *Fontanam*, quoniam telam cellulosam cylindris illis constare tam egregie exposuerit, de magnesia quoque aliisque verum admonuisse.

*Bordeu* illius scripta (14), quae tam observationibus microscopicis, quam rebus chemicis oppugnant, principalem inter ea, quibus de cellulosa tela fabulae divulgatae sunt, locum tenent. »Elle »paroît«, *Bordeu* ait, »étant examiné au microscope, un composé d'atomes ou de petits corps »collés les uns aux autres, rangés sans nulle sorte »de symmétrie, plus ou moins mous, et plus ou »moins transparens; elle est comparable à une gelée de viande, et ne semble differer que fort peu »de ce que les chimistes appellent le corps muqueux — c'est pourquoi nous l'appellerons le »tissu muqueux«.

*C. F. Wolff* (15), cuius ingenio in rebus anatomicis physiologicisque tanta debemus, telae cellulosaes structuram omnino ignorasse ex ipsius patet verbis: »His omnibus, substantiam, qua musculi obducti, minime cellulosam, sed continuam, aequalem, semifluidam, tenacem et pellucidam sub-

(14) Oeuvres de *Bordeu* ed. Richerand. Paris. 1818. Vol. II. p. 735 sq.

(15) De tela, quam dicunt cellulosa observationes. In: Nova act. acad. scient. imper. Petrop. Tom VI. 1790. p. 267.

»stantiam esse, omnino demonstratur.« Quae ad sententiam suam stabiendam argumenta *Wolff* affert, *E. H. Weber* (16) optime jam refellit. Paucis tantum, quae a *Bordeu*, *Wolff* eorumque fautoribus adhibita sunt verba, ut attingam restat.

Mucus, si microscopio observatur, liquore pellucido constat et globulis albidis, quam quoque naturam offert jam diu de corpore demtus, etiamsi exsiccatus et deinde aqua tractatus sit.

Coquendo quidem tela cellulosa in gluten immutatur, minime vero propterea tela cellulosa gluten est: gluten substantia est continua, aequalis, in qua neque fila, neque globulos animadvertisimus.

Quid sub semifluida substantia intelligatur, quis est, qui perspiciat? Mollior certe tela cellulosa in corpore vivo est quam in exanimato, quod in animalibus ejusdem speciei ejusdemque aetatis, tam vivis quam occisis, semper inveni; nunquam autem textus structura saepius illustrata caret. Fila si demum e massa continua, aequali trahendo exorirentur, massa illa circumdarentur et stricta densaque apparerent, necesse esset; accidit autem, ut substantiae aequalis ne vestigium quidem observetur, et fila accurate exposita non stricta, sed tortuosa conspiantur.

---

(16) *Hildebrandt's Anat.* Bd. I. 1830. p. 235.

*Wolffio adsensus est Blumenbach* (17), *praeceptor mihi summe venerandus.*

*J. F. Meckelii* (18) sententia verbis ipsissimis patet: »dass das Schleimgewebe eine aneinander hängende, zähe, homogene, kaum feste, nicht gestaltete Substanz ist«. Porro: »Weder dem blos-sen, noch dem bewaffneten Auge erscheinen die Blättchen, Fasern und Zellen, sondern überall die angegebene Beschaffenheit, nirgends Spuren von Oeffnungen. Diese Substanz scheint nur aus Fäden oder Blättern gebildet, weil sie sich wegen ihrer Zähigkeit in dieselbe ziehen lässt, und man kann sowohl mit bloßem als bewaffnetem Auge diese Fäden und Blätter entstehen sehen«.

*Doellinger* (19): »Der Grundstoff aller thierischen Gebilde ist eine eigenthümliche schleimähnliche Substanz, in welcher man kleine, ein wenig dunklere Körner durch das Microscop erblickt. — »Die den Thieren eigenthümliche Grundlage ihrer Leiblichkeit werde ich hinfert Thierstoff nennen. Chemisch betrachtet mag der Thierstoff ursprünglich eine Snbstanz seyn, in welcher das

(17) Institut. physiolog. Ed. IV. Gott. 1821. §. 21.

(18) Handbuch d. menschl. Anat. Bd. I. 1815. p. 116 et 117.

(19) Was ist Absonderung und wie geschieht sie? Würzb. 1819. p. 20.

»Eiweiss und der Faserstoff noch nicht zur Entscheidung gekommen sind« etc.

**Rudolphi** (20) de *tela cellulosa* ait: »Im lebenden Körper erscheint es als ein zarter, halbflüssiger, formloser, dehnbarer Stoff; nach dem Tode, vorzüglich aber indem es zugleich den Einwirkungen der Luft oder des Wassers ausgesetzt wird, erstarrt es in ein regelloses, flockiges Gewebe von Fasern und Plättchen.«

**Heusinger** (21): »Während des Lebens erscheint es (das Bildungsgewebe) als ein weicher, halbflüssiger, sehr dehnbarer Stoff, der sich leicht in Fäden ziehen lässt. Sobald aber Luft oder Wasser länger auf dasselbe eingewirkt haben, erstarrt es in ein unregelmässig flockigtes und faseriges Gewebe. — Unter dem Microscop erblickt man schon bei einer mässigen Vergrößerung das Bildungsgewebe aus lauter rundlichen Körperchen oder Kügelchen bestehend; die Kügelchen scheinen aber viel grösser, als wie die Blutkügelchen.«

**G. R. Treviranus** (22), qui quidem de *tela cellulosa*, quomodo nudo oculo appareat, **Wolfii** et **Rudolphii** sententiae suam adscripsit, praeterea

---

(20) Grundriss der Physiol. Bd. I. Berlin 1821. p. 73.

(21) System d. Histologie. Thl. I. Eisenach 1822. p. 124 et 125.

(22) Vermischte Schriften. Bd. I. p. 125.

**docuit haecce:** »Unter der stärksten meiner Ver-  
 »gröfserungen sahe ich in ihr (der schleimähnlichen  
 »Substanz) höchst zarte, durchsichtige, meist ge-  
 »schlängelte Cylinder, die ich Elementaryylinder  
 »nennen werde, zwischen ihnen Kügelchen, die das  
 »Ansehn der Eyweifskügelchen hatten, und eine  
 »halbflüssige, beide Theile einhüllende Materie,  
 »welche in ihrer zähen, dehbaren Beschaffenheit,  
 »ihrem Vermögen, vom Wasser anzuschwellen, und  
 »ihrem Ansehn mit dem erhärteten und wieder auf-  
 »geweichten Schleim der Bronchien übereinkam.«  
**Et ex his verbis et ex iconē adjecta virum prae-  
 cellentissimum non singula, sed conferta tantum fila  
 observasse colligimus.**

**E. H. Weber** (23): »Auch ich sahe durch das  
 »Mikroskop, ungefähr wie *Treviranus*, an dem Zell-  
 »gewebe, das sich zwischen der Bindegewebshaut und  
 »weißen Haut des menschlichen Auges befand, eine  
 »durchsichtige, sich in wasserhelle Fäden ausein-  
 »ander ziehende Materie, welcher hier und da Kü-  
 »gelchen beigemengt waren.«

**Num C. A. S. Schultze** telae cellulosaē ele-  
 menta observaverit, dijudicare non ausim. **Obscura**  
 enim et dubia, quae attulit (24): »Er (der Schleim-  
 »stoff) enthält bei den vollkommneren Thieren au-

---

(23) Hildebrandts Anat. Bd. I. p. 237.

(24) Lehrb. d. vergleich. Anat. Abth. I. Berl. 1828.  
 p. 109 et 110.

»sser Gallerte Faserstoff, bei den niederen Eiweiss;  
 »von ihm nehmen die übrigen Elementartheile in  
 »allen Thieren ihren eigenthümlichen Nahrungs-  
 »stoff, und setzen in ihn das Verbrauchte ab.« Postea: »Bei vermehrter Consistenz nimmt endlich  
 »der Schleimstoff auch bleibend die Gestalt von Fä-  
 »den und Röhren an.« Neque distinctiora, quae alio  
 loco (25) communicavit: »Materia mucosa (Schleim-  
 »stoff, Thierstoff *Döllingers*): animalculorum sim-  
 »plicissimorum substantia unica, perspicua, alba,  
 »omnibus formis apta, ideoque in medio inter  
 »fluida et solida elementa, reliquorum solida organa  
 »constituentium elementorum mater, involucrum et  
 »copula in animalibus perfectioribus, in omnibus  
 »organon nutritionis et secretionis, in simpliciori-  
 »bus simul sensum et motum efficit.« Et: »Fibrae  
 »mucosae (Schleimgewebfasern): cylindricae, pellu-  
 »centes, albidae, materiam mucosam in animalibus  
 »perfectioribus omni directione pervagantes, non  
 »parallelæ, elasticae, contractiles, sed in contra-  
 »ctione non rugantur.«

*C. F. Th. Krause*, observator accuratissimus, in excellentissimo compendio anatomico (26) ita de tela cellulosa disseruit: »Die gröfseren, dem

(25) *Prodromus descriptionis formarum partium elementarium in animalibus*. Berol. 1828. p. 6 et 7.

(26) *Handb. d. menschl. Anat.* Bd. I. Abth. I. Han. nov. 1833. p. 13.

»blofsen Auge noch sichtbaren Fasern und Blättchen bestehen aus sehr kleinen, glatten, nicht gekörnten, durchsichtigen, geschlängelten, und einander durchkreuzenden Fasern von  $\frac{1}{1200}$  " bis  $\frac{1}{3500}$  " Dm., und aus unregelmäfsigen Klümpchen von  $\frac{1}{260}$  " bis  $\frac{1}{720}$  " Dm., welche theils einzeln zwischen den Fasern, theils neben einander und fast zusammenfließend, angetroffen werden: durch eine gewaltsame Ausdehnung werden die Fasern gerade, und die Klümpchen zum Theil in Fasern verwandelt.“

*R. Wagner* (27): »Dünne Läppchen des Zellgewebes« inquit »zeigen sich unter dem Mikroskop aus deutlich begrenzten Fäden von verschiedenem Durchmesser zusammengesetzt,« et »die Fäden dieses Zellgewebes sind  $\frac{1}{1000}$  " bis  $\frac{1}{500}$  " dick.«

Globulorum, quorum *Treviranus*, *Weber* et *Krause* mentionem fecerunt, ipse ne vestigium quidem unquam in mera substantia cellulosa inveni. Accidit autem, ut globulos viderim, quoties cum textu celluloso particulas simul adiposas microscopio supposui. Globulos a *Krause* observatos, quos partim in fila se distraxisse praedicat, nil nisi fila elasticitate conglomerata fuisse confido.

*Milne Edwards* (28) fila ipsa *Fontanae* magis

(27) Lehrb. d. vergl. Anat. Abth. I. Lpz. 1834. p. 61.

(28) Mém. sur la struct. élémentaire des principaux

amplificata globulorum inter se cohaerentium speciem prae se ferre dicit, in quo certe erravit, nam, diametro vel millies et ducenties aucta, fila in tota longitudine aequalia vidi.

*Bergen, Schobinger, Haller, Bichat, Béclard et alii, quamvis telae cellulosa elementa quidem in medio reliquerint, partes secundarias, fibras et laminas, accurate exposuerunt.*

A viris denique excellentissimis *Fohman* (29) et *Arnold* (30), quorum alter injectionibus, alter observationibus microscopicis nititur, sententia, telam cellulosa, vel omnem vel plurimam, nil esse nisi vasorum lymphaticorum retia, in lucem prolata est. Quam sententiam *Arnold* forsan non extulisset, si singula fila primitiva magis amplificata vidisset; specie scilicet, quam decussatorum filorum copia oculo modice armato offert, vir clarissimus deceptus esse nobis videbatur. Cellulas cunctas adipem continentes fasciamque superficialem, non minus e cellulosa tela compositas, retia esse lymphatica, quis est, qui concedere velit?

tissus organiques. Paris 1823. übers. in Heusinger's Zeitschrift f. d. organ. Physik. Bd. II. p. 277.

(29) Mémoires sur les communications des vaisseaux lymphatiques avec les veines. Liège 1832. p. 17.

(30) Anatom. u. physiol. Untersuch. üb. d. Auge des Menschen. Heidelb. u. Lpz. 1832. p. 1 sq.

## §. 5.

Telam cellulosam, si chemicam ejus qualitatem respicimus, aqua frigida non solvi, coquendo autem in gluten immutari jam a *Bichat*, viro immortali, accepimus.

## §. 6.

Telae cellulosae, de cuius elasticitate jam sermo fuit, fila dum humida sunt acubus tenuibus stricte extensa, priorem tortuosam, extensione remissa, recipiunt speciem. Telam cellulosam frigore et remediis adstringentibus contrahi inter omnes constat. Tubulorum capillarium vi textus cellulosus liquores excipere iisque tumescere potest. Cellulosae denique telae est, organa omnia eorumque partes constituentes ita connectere, ut facile locum mutare possint, — iisque nutriendis, quum retia vasorum capillaria contineat, providere.

Permuli cellulosam telam, quippe quam aut primoribus labris gustaverint aut cum illa, qua in foetu partes omnes conformantur, materia ab Ill. *Jo. Mueller* (31) blastema nominata commutaverint, reliquis omnibus telis fundamento esse perperam ajunt; neque minus singula nomina hanc ob rem

(31) De glandular. secernent. structura penit. Lips.  
1830. p. 60.

inventa, ut Bildungsgewebe (*Heusinger*), Thierstoff (*Döllinger*) etc. vituperanda esse putamus.

## §. 7.

Inter morbos, qui in textu celluloso insidere possunt, praeter inflammationem morbosque, qui eam sequuntur, hydrops, anasarca et obesitas, quibus omnibus et dartos tunicam affici observatum est, majoris nobis momenti sunt.

... ad eas degradabili in cineris  
... immixtae sunt abunusque alio (cineribus)  
... etiamque in aliis, quae non  
... satischi osseos nescit ut imp. rodens rotundum  
... imp. superodionem inservientem, ut illius, tenuis  
... rodens, et hunc ex omnibus aperte id primus per meo  
... hinc etiammodo iste, nescit eorum to undicatio

### CAPUT III.

#### DE TELA MUSCULARI.

Partes, in quas musculi solito acum tenuum au-  
xilio separantur, a *Fontana* fasciculos carneos pri-  
mitivos, faisceaux charnus primitifs, a *Prevost* et  
*Dumas* fibras musculares secundarias, fibres muscu-  
laires secondaires, nominatas, si microscopio in-  
dagantur, tenerrimis secundum longitudinem decur-  
rentibus striis, striae globulis componi appetet.  
Striarum sibi adjacentium globuli, certo ordine con-  
stituti, transversas quoque series efficiunt, quae ab  
invicem striis quasi obscurioribus, et ipsis transver-  
sis, distinguuntur. Ubi enim globulus globulum tan-  
git, propter umbram striae obscuriores apparent,  
quam in media cujusque seriei parte, e globulorum  
segmentis maxime sursum et deorsum eminentibus  
ideoque clarissime illustratis composita. Similibus,  
tenuioribus tamen, lineis obscuris secundum longi-  
tudinem discernuntur globulorum series, quae sin-  
gulae a *Fontana* fila carnea primitiva, fils charnus

primitifs, a *Prevost* et *Dumas* fibrae musculares elementariae, fibres musculaires élémentaires, appellatae sunt.

Fasciculi primitivi extrema pars fortiter compressa dividitur interdum in brevia fila primitiva, alternis partibus globosis lucidioribus et intermediis obscurioribus insignia. E musculturum maceratorum fasciculis globuli facile exprimuntur.

Haec jam sufficient, quibus telam musculararem ejusque fila primitiva ab omnibus aliis dignoscamus.

Quod attinet ad constitutionem telae muscularis chemicam, praestantissimam ejus partem fibrinam esse *Berzelii* (32) indagatione patet. Fibrina acido acetico intumescit et aqua deinde affusa solvitur, e qua solutione Kali ferruginoso-hydrocyanico praeципitatur.

---

32) Léhrb. d. Thier-Chemie. Dresd. 1831. p. 465.

#### CAPUT IV.

### AD QUAMNAM TELAM TÚNICA DARTOS PERTINEAT.

**D**e textu tunicae dartos sententias inter telam cel-lulosam et musculararem fluctuare vidi-mus. Tex-tum tunicae dartos et musculararem si compara-mus, am-bos et elementis, et constitutione chemica, et vi-ribus vitalibus omnino differre reperimur. Colorem tunicae dartos russeum a vasorum sanguiferorum majori copia pendere jam adnotavimus.

Contra tunica dartos et textus cellulosus filo-rum natura et crassitudine, constitutione chemica, viribus vitalibus nec non morbis perfecte inter se con-gruunt, filorum primitivorum dispositione tan-tummodo differunt, quam vero in aliis quoque tex-tus cellulosi partibus non semper sibi constare vi-dimus.

Cellulosam in musculararem substantiam evolvi qui statuere velit, is me, quomodo gluten in fibri-nam, cylindrus in globulum immutetur, doceat quaeso!

meridionis distantiā circuitali, tuncque insendo  
dissimilans, tenuiū sicut, certiū sicut, amictibus  
ut cibentur ciborum quod ostendit abusus, et  
victus. Unde ciborum quee inserviant molob,  
ciborumque ciborum inserviant modum amictus et  
ciborum quee ciborum inserviant modum amictus et  
ciborumque ciborum inserviant modum amictus et

## DE TELA TENDINEA MICROSCOPIO

### INDAGATA.

(Fig. 5 et 6.)

**T**endinea dicitur tela fibrosa, solidissima, paulum elastica, alba vel ex albido flavescentia, serico nitore splendens.

Telae tendineae elementa sunt fila aequalia, longa, tenuia, undata, cylindrica, quorum diametros lineae Anglicanae partes 0,0007 aequat. Quum crassiores Krause (32) diametrum indicasset, fila tendinea iterum iterumque micrometro indagavi, semper vero eandem reperi.

Fila telae tendineae primitiva, parallela textu celluloso in fasciculos primitivos, hi in secundarios junguntur. Fasciculi subtilissimi, microscopio indagati, undati, luce percidente in editis superficie partibus clariores, in excavatis obscuriores, luce incidente in editis albi et splendentes, in excavatis

**obscuri apparent.** Indagatis plurimis muscularum tendinibus, dura matre, fascia humeri, antibrachii, lata, surali, periosteо hanc fasciculis tendineis in-dolem communem esse persuasum habeo. Undatam illam formam non muscularum actioni, qua tendines extendantur et deinde relaxentur, deberi, sed ipsi tendineo textui inesse, ex eo patet, quod et in dura matre et in periosteо observatur. In ligamentis flavis et in media arteriarum tunica tale quidpiam non reperi. — Fasciculi tendinei undati acuum tenuium ope in strictos distrahi possunt.

**Singuli fasciculi tendinei aut,** ut in muscularum tendinibus, paralleli congregati sunt, aut, ut in dura matre, in fasciis et in periosteо, vario modo decussantur, anastomoses ineunt iterumque sejunguntur.

## TABULAE EXPLICATIO.

**Fig. 1.** **F**ila tunicae dartos primitiva, diametro quadringenties et quinquagies amplificata, delineata. Inter *a a* filorum in doles tortuosa adspicitur. *b b* Fila trahendo in stricta redacta.

**Fig. 2.** Fila telae cellulosae primitiva, de communi arteriae carotidis, venae jugularis internae et nervi vagi vagina demta, et, diametro quadringenties et quinquagies amplificata, delineata.

**Fig. 3.** Multa telae cellulosae fila primitiva, acubus distracta, de eadem parte; amplificatio eadem.

**Fig. 4.** Pars telae cellulosae, adipe carentis inter abdominis cutem et musculos positae, centies amplificata. Laminam tenuissimam, pariter tensam scalpello diligentissime resecans, hanc portionem obtinui, in qua fasciculi telae cellulosae implexi conspiciuntur.

**Fig. 5.** Fasciculus tendinis Achillis, centies amplificatus, luce pellucente delineatus. Partes clariores flexurae sunt altiores, obscuriores excavatae.

**Fig. 6.** Fasciculus ejusdem partis toties amplificatus, luce incidente delineatus. Striae transversae albae partes sunt maxime editae, obscurae excavatae.

---

## VITAE CURRICULUM.

**N**atus sum, *Hermannus Jordan*, Wezlariae anno **MDCCCVIII** patre *Gerhardo*, medicinae doctore, matre *Joanna*, e gente *Seidensticker*, quos parentes carissimos mortuos lugeo. Evangelicae adscriptus sum ecclesiae. Puer novem annorum gymnasium, quod in urbe patria floret, adii, ubi per decennium literis, quae ibi traduntur, studui. Examine deinde maturitatis superato, per annum in exercitu Borussico militavi.

Mense Majo anni **MDCCCXXVIII** Gottingam me contuli, ibique scientiis naturalibus et medicis operam navavi. Praeterlapsis octodecim mensibus morbus patris, quo postea mortuus est, in patriam me revocavit. Tempus deinde a vere anni **MDCCCXXX** usque ad autumnum sequentis Bonnae transeggi, unde in universitatem literariam Georgiam Augustam redii. Autumno anni praeterlapsi civibus universitatis literariae Berolinensis academicis adscriptus sum.

Per hos sex annos hisce interfui scholis:

Gottingae: Cel. *Krause* de logica et encyclopaedia philosophica, Ill. *Blumenbach* de historia naturali et physiologia, Ill. *Thibaut* de mathesi pura, Ill. *Mayer* de physica, Ill. *Stromeyer* de chemia theoretica et de zoochemia, Ill. *Hausmann* de mineralogia et geognosia, Ill. *Bartling* de plantarum anatomia et physiologia, Ill. *Hempel* de osteologia et syndesmologia, Ill. *Langenbeck* de anatomia et chirurgia, Ill. *Himly* de nosologia tam generali quam speciali et de oculorum et aurium morbis, Cel. *Kraus* de materia medica, Ill. *a Siebold* de arte obstetricia, Ill. *Conradi* de principiis medicinae. In disquisitionibus chemicis Ill. *Stromeyer*, in arte cadavera secandi inque instituendis operationibus chirurgicis et ophthalmiatricis Ill. *Langenbeck*, in fasciis ligandis Cel. *Pauli*, in exercitationibus ad phantoma Cel. *Trefurt* duces mihi fuerunt. Auscultandi et practicandi causa clinicum chirurgicum et ophthalmiatricum Ill. *Langenbeck*, clinicum medicum et ophthalmiatricum Ill. *Himly*, clinicum medicum Ill. *Conradi*, xenodochium obstetricium Ill. *a Siebold* frequentavi.

Bonnae de botanice Ill. *Treviranum*, de zoologia et de petrefactologia Ill. *Goldfuss*, de mineralogia Ill. *Noeggerath*, de physica Ill. *a Muenchow*, de anthropologia Ill. *Nasse*, de stoechiometria Ill. *Bergemann*, de anatomia Ill. *Weber*, de psycholo-

gia III. *van Calker*, de chemia analytica III. *Bischoff*, de botanice medica III. *Nees ab Esenbeck*, de historia recentis aevi III. *Huellmann* disserentes audiui; in encyclopaedia et methodology medica, in physiologia et in anatome comparata III. *Mueller* viam mihi monstravit.

Berolini clinicum medicum III. *Bartels* practicando, clinicum chirurgicum III. *Rust* et Cel. *Dieffenbach* et auscultando et practicando, xenodochium obstetricium III. *Busch*, clinicum medicum Cel. *Wolff* practicando, clinicum pro curandis infantibus institutum Cel. *Barez* practicando, clinicum ophthalmiatricum III. *Juengken* auscultando, nec non praelectiones III. *Ritter* de geographia universali et III. *Mueller* de anatomia pathologica frequentavi.

His omnibus viris praestantissimis ob tot tantaque in me collata beneficia vel maximas ago gratias.

Tentaminibus, et philosophico et medico, nec non examine rigoroso coram gratiose medicorum ordine rite superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque defensis, supremi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

---

## **THESES DEFENDENDAE.**

- 1. Scrotum plicatur tunicae dartos contractione.**
- 2. Ut fiat conceptio, per tubam ad ovarium semen perveniat necesse est.**
- 3. Pus per metastasin ex aliis in alias partes vehi nego.**
- 4. Ad nasum resarciendum lobi ex humero excisio rejicienda.**
- 5. Salia sic dicta antiphlogistica sanguinis constitutionem chemicam mutant.**

Fig. 1.




Fig. 2.




Fig. 4.




Fig. 3.




Fig. 5.



Fig. 6.

